

## Excidium vere horribile

Abbatiae Sti Maximini prope Treviros,  
conscriptum ab oculari teste Alexandro Henn.  
ejusdem coenobii Religioso et postae Abbate.

(Continuatio. Cfr. An. IV. tom. 4. pg. 374—382.)

Religiosi interea monasterii patres, ignari omnium ac Vignorianarum induciarum spe securi, decantando primae canonicae officio more consueto insistebant, cum exoriri repente circa templi penetralia dissonus clamor, evulsorum a cardinibus ostiorum perstreperere sonitus, impulsorum denique cadentiumque tectorum fragore coenobium omne personare: mirantur, obstupescunt pavore ac strepitu pariter defixi expletoque officio tumultus auctores exploraturi egrediuntur. Et ecce lugubre spectaculum! Vident pertusas amotis cardinibus claustrales officinas, aversum instrumentum omne regulare, confusa omnia; accedunt, ruinae autorem interrogant, induciarum a Vignorio concessarum commonefaciunt, sed ad eundem Vignorium, ex cujus mandato haec faciant, cum sibilo remittuntur. Pergunt interim rem suam agere; alii, inspec- tantibus deprecantibusque religiosis, in moenia, queis monasterii ambitus cingebatur, praecipites involant, tegulas confringunt, trabium compages laxant, tectum omne in terram prosternunt; alii per vicinas claustrum officinas sine ullo Coenobitarum respectu praeda- bundi discurrunt, singulos monasterii angulos, quo aditus patebat, pervestigant raptaeque hinc inde spolia comportant, arietes applicant ac muros horrendo impetu proturbant... Cornutis, quas capras Galli appellabant, machinis ad decimum usque Aprilis in coenobii moenia desaevitum est: dum enim nefandi operis moderator Morongh, exercita in cives tyrannide urbi notissimus homo, ut Galli ipsimet dictitabant, atheus adeoque ad Vignorii genium compositus, recenti aliqua praeda suorum solaturus laborem diruendis moenibus in claustro adhuc detentum militem a coepto opere repente abstrahit, ac nil praemonitis ad conservandam supellectilem religiosis ad amplissimum in area extra clausuram aedificium (cancellaria vocabatur) turbinis in morem ducit, ac cum universis in eo repertis praedae militumque furori concedit, quos dein, exhausto penitusque afflicto non intra multas horas magnifico isthoc domicilio, ad priores moenium ruinas intra claustrum reducit.

Visebatur e regione monasterii, extra tamen ejusdem septa, celebre apud Treviros pia superiorum Abbatum liberalitate ex coenobii Maximiniani redivisibus sub titulo S. Elisabeth, Thuringorum

Landgraviae, pauperibus aegrotisque suscipiendis curandisque anno 1240 fundatum xenodochium<sup>1)</sup> pariter et nosocomium, in quo aegrotantes egentesque colligebantur de plateis et consumpta languoribus atque inedia miserorum membra refovebantur. Equidem jam a triennio Gallorum non paucos fame, frigore contagioque ferme enectos religiosi patres quotidie pene susceperunt, foverunt benigne, quia et pluribus ex eadem natione in dicto nosocomio defunctis non sepulturae duntaxat honorem sed pia insuper suffragia christiana prorsus charitate impenderunt; sed eorundem populares memoratum hospitale una cum adjuncto elegantis operis sacello hoc eodem tempore in acervum lapidum redegerunt, ingemiscente ac palam vindictam a Deo expostulante miserorum ejectorum turba.

Tenuit insanus hic in memoratis aedificiis moenibusque diruendis labor ad Idus Aprilis usque; ab his enim in ipsa claustris aedificia adeoque in ipsum monasterii cor furorem omnem vertere Vignorio placuit, cum tamen de ejusdem conservatione patres spe vana maximinianos identidem lactaret. Quod inexpectatum Vignorii decretum ubi ex apportatis arietibus suspicati primum impetum ab amoenissima valetudinarii fabrica acceptum iri crederent, mox supellectilem inde exportare ac ante predonum sub meridiem ad urbem digressorum reditum pro temporis angustia evacuare aggrediuntur, sed labore prorsus irrito. Reversi enim latrunculi nostri ubi ea, quae jam spe devoraverant, evolasse magna ex parte conspiciunt, arietes minaces totius claustris aedificio admovent ac quatuordecim simul ad singulos arietes sibi invicem succedentibus eo impetu in splendidum potius quam fenestris identidem murum intersecantibus firmum domicilium librant, ut magna ejusdem pars religiosi lacrymantibus sub vesperam procumberet. Horum tamen permixtae lacrymis preces tantum abest, ut vel ad tantillam lenitatem ferocem Vignorii animum flecterent, ut etiam ceu affuso in rapidum incendium oleo potentius inflammarent. Ab hac enim die naturae isthoc monstrum, quo piceatas latrunculorum suorum manus effugeret nihil turpique eosdem allectos praeda in sacrilego opere haberet promptiores, edictum impium dictator

---

<sup>1)</sup> Die Gründung des Elisabethen-Hospitals geschah 1240 durch Abt Heinrich von Bruch (1230—1247) gemäss Urkunde vom Jahre 1256. (Siehe Mittelrheinisches Urkundenbuch III, 991.) Diese Urkunde trägt an der Spitze die Worte: „Anno dom. MCCXL. constructum est hoc hospitale a venerabili viro dom. Heinricho nato de castro Bruch, abbate S. Maximini Trev.“ Aber schon früher bestand beim Kloster St. Maximin ein Hospital, wie aus der Urkunde vom Erzbischof Theodorich II. vom Jahre 1217 zu ersehen ist. Durch diese Urkunde (Mittelrhein. Urkundenbuch III. 75) wird die St. Michaelskirche dem Hospital (infirmatorium, domus infirmorum) incorporirt. St. Michaelskirche und Elisabethenhospital bestehen heute noch, jene als Magazin, dieses als Privatwohnung.

iniquissimus promulgavit; Posthac militi quocunque arietem circumferre liberum esto; ariete admoto jus nullum in idem aedificium monache praetendito! nihil exportato, miles universa diripito! Vah! dirum, infame, sacrilegum decretum! cujus vel nudam commemorationem merito perhorrescant christianaes aures, aversetur conscientia, vel ipsa disciplina militaris excretur!

Illi per omne claustrum peristylum minaces circumportare arietes, modo in hoc, modo in illud aedificium incurrere, tum ad aliud properare eademque rapacitate per universum claustrum debacchari. Religiosi contra veluti pavidae lupos inter oviculae discurrere, res ablatas repetere, nil obtinere, exportare quaedam, sed militari ferocia e manibus extorta mox eadem ammittere, implacatum rogare militem, sed sannis excipi; denique ubique adesse, ubique trepidare, nihil proficere, immo cum confusione ubique vel turpem repulsam, vel foedos gaenitus reportare.

Atque barbaro isthoc procedendi modo pauculos infra dies effectum est, ut non tam prostrato quam foede ubique mutilato, foedius expilato, foedissime profanato omni claustrum, ni sub Jove frigido quietem capere mallems, religiosae solitudinis usque adeo amatam atque ex votorum formula non nisi cum vita deserendam stationem derelinquere et ad residua extra clausuram aedificia commigrare cogemur. Ubi dum inter has loci angustias, inter insanos militum undique obstrepentium clamores, ad decimum usque Maji in nudam abjecti humum commoramur, officio divino nocturnis aequae ac diurnis horis more consueto insistere nunquam omittimus. Si, quae ab irato milite damnorum ac contumeliarum genera Deo conscientiaque teste toleravimus, enumerare aut luberet aut per religiosam modestiam liceret, sicuti ob inusitatam facinoris atrocitatem apud lectorem fidem difficulter invenirem, ita occupationis animum ingrata prolixitate ad taedium provocarem. Itaque ea universa oculo illi, sub quo nec latere abdita nec fucata fallere potuerunt, diducanda transcribimus atque ad institutum funestae tragoediae ordinem nos postliminio revocamus.

Subinde Gubernator, dum funesti operis adest spectator ac improbo voto tardius ob molem, numerum firmitatemque aedificiorum rem procedere videt, qua ariete, qua cuniculis agendum ratus, hos accitis undequaque ex vicina Trevirorum urbe lapicidis machinatorem bellicum moliri jubet, quorum non multos intra dies cunicularia arte perfectis octodecim pulvereque tormentario oneratis, dum ignem applicari praecipit, amoenissimum illud valetudinarii domicilium cum adjuncto sacello binis cuniculis concussum XV. Aprilis penitus procubuit ac subsecutis dein singulis diebus sol seu ortivus seu occiduus singulas aedificiorum strages vidit, donec XXIII. Aprilis, dum parochialem S. Michaelis infra monasterii ambitum ecclesiam quattuor ingentium cuniculorum

fulmine postridie dedicationis ejusdem in aerem jactari videre cogitur, radios ille quidem tum suos ob nefandi criminis sacrilegium occumbens retraxit.

Adjacebat jam dictae ecclesiae coemeterium, aggesta humo muroque praestructo altius illud aliquantulum atque ideo Vignorii in mortuorum etiam oculis insidias suspicantis opinione urbi metendum. Hujus igitur statuitur demolitio; nec mora, advocantur milites, disturbatur murus, terra certatim effoditur, donec ad ipsa cadaverum loculamenta perventum est, quorum putrescentium adhuc foetore (tumulati non ita pridem aliqui fuerant) ubi miles absterritus plus quam ferinum hujuscemodi laborem exereratur, tum quidem ab opere nefario aliquamdiu cessatum est. Verum isthaec defunctis requies non diuturna fuit; Vignorius enim, velut ipse inquietis illis cadaverum vermibus urgeretur, morae omnis impatiens militum loco agricolarum ex proximis pagis citat manum ac miserando operi insudare cogit . . . Bis terque miseri agricolae, utpote e vicinis pagis acciti, avorum, parentum, filiorum, conjugum, fratrum atque propinquorum suorum in Christo defunctorum ossa et plura nondum resoluta corpora, urgentibus Gallis effodere ac ipsa exhorrescente natura in subjectam fossam praecipitare aggestaque rursus humo tumulare compelluntur. Adeo non in vivorum duntaxat corpora ac fortunas, sed in ipsa etiam fidelium ossa, quibus vel ipsae generosiores ferae naturali instinctu parcent, ignominiosa barbarie a gallicis hisce lupis vespertinis depugnatum est.

Effluxerat tot inter aedificiorum strages ac vivorum mortuorumque injurias jam mensis Aprilis, quem dum subsequens exceperit Majus, majus quoque religiosam nostram jam paene collapsam domum stantemque adhuc ecclesiam exceperit malum . . .

Ipsa festiva SS. Apostolorum Philippi et Jacobi luce cuniculariorum cum instrumentis in ecclesiam Vignorius immittit turbam, ac altum ingemiscentibus ac datam fidem nequicquam implorantibus religiosi capacissimos loco a se designato cuniculos subtus ingentes illas elegantissimasque ecclesiae Maximinianae turres quantocius moliri imperat. Dum infame hoc opus non intermisso labore cuniculorum magistri urgent, eos in ecclesia scurrilem in modum lasciviendo lasciveque cantillando divinum infra officium exercere insolentias, ut ipsa Ascensionis dominicae solemnitate, quae in III. Maji inciderat, has inter insolentissimas turbas, non sine difficultate cantato ultimo sacro solemniter, ad Cryptas templi subterraneas officii divini persolvendi ergo recipere sese imposterum cogerentur patres religiosi; sed nec diu subsistere hic per militum improbitatem operariorumque tumultum licuit. Quinta namque Maji lapidas Treviricos suffodiendis in peristylio columnis intentos repente avocat Vignorius ac sub

meridiem in templum trahit, propositoque premio quatuordecim illas Octogenae formae amplissimas secto ex lapide columnas, quibus universi templi incumbibat moles ac fabrica, ferreis instrumentis oblongis quadro foramine ad diametrum usque pertundere jubet, quas dein sulphureo pulvere oneratas subterranearum cuniculorum in morem admoto igne disturbaret, prout infra narrabimus . . .

Aderat jam nona mensis Maji, monasterii rebus cladem, religiosis afflictionem, praesentibus horrorem, posteris stuporem, Gallis probrum sempiternum, nulli laetitiam paritura dies, cum sub meridiem ab urbe et prandio redeunt ingrati nostri operarii, numero quam alias auctiore, ultra sexcentos fuisse post patuit. Quibus in amplissima monasterii area congregatis capitaneus, nescio quis, gubernatoris e scripto legerat mandatum, cum illi veluti signo ad praedandum dato undique percurrunt atque instar rabidorum canum in abbatiale domicilium impetum faciunt. Comportarant huc Vignorii ipsius monitu suam religiosi supellectilem jamque hoc tempore sui Gallorumque securi pariter citra omnem periculi suspicionem frugali hic mensa vires reficiebant, cum insano impetu irrumpunt Galli, primum in culinam, ubi esculentis poculentisque in anticoenium praepropere assumptis mox aliorum conglomerati sese proripiunt, obstantia irrupturis ostia convellunt nulloque religiosorum consternatorum respectu in ipsum coenaculum irrumpunt, in obvia quaeque involant, subducunt, subtrahunt, rapiunt quaelibet, ne religiosorum quidem intactis vestibus. Tum ad domum materialia, ferrum, plumbum, ligna diripienda rapacissimi hi Mercurii nepotes convertuntur; alii fenestrarum clathros violente excutiunt, ostiorum alii postes convellunt, aliique ferri aut plumbi quantavis particula potirentur, non contemnendi pretii marmora saxaque porphyretica insane pertundunt, alii convestitas dolatis asseribus parietinas revellunt, omnes denique rapido cursu tecta non hujusmodi modo aedificii, sed ipsius etiam ecclesiae conscendunt, plumbum, diripiunt, contundunt tegulas, trabes dejiciunt, singula velut periti convellunt comminuunt, ad terram proturbant. Quid? vel ipsos Francorum, officiatos de foeno paleisque modicis, quibus misere hactenus religiosi dormierant, rivari ac decertare atque hinc et inde abjecta ferramenta comportare conspeximus . . .

Exhauserant jam intra horae non integrae spatium vulturii nostri abbatiale domicilium, cum veluti re praeclare gesta triumphabundi in priore areae campum conveniunt, ac uno omnes agmine augustissimum illud, tot martyrum confessorumque sacratis exuviis nobile atque Christi Domini sub venerabili sacramento etiamnum praesentis majestate venerandum S. Maximini templum in extremam amentiam praecipitati invadunt; rumpuntur caeca

temeritate claustra, perfringuntur fores, ipsius Dei sacrarium densato ordine inundatur. Hic vero inaudito apud christianos exemplo videre erat homines perditissimos phrenetico, immo haeretico spiritu per domum Dei horrisono ululatu discurrere, fanda infandaque committere, in Divorum statuas, reliquiarum tumbas Deoque positas aras involare, ac modo obstantium religiosorum preces aspernari, modo obnitentes per vim repellere sacrilegaque ubique rapacitate de domo Dei facere speluncam latronum . . . Ita plus quam calvino-iconoclastica impietate plures truncatae in elegantissimis hypogaeis angelorum coelitumque effigies, ipsa etiam voti valetudinisque prodigiose recuperatae causa piis a fidelibus appensa ad sanctorum tumbas anathemata avulsa (has inter furias sanctissimorum Trevirensium Pontificum, Maximini, Agritii et Nicetii ornamentis suis spoliatus ac ferro tentatus est locus), tumbae vero, in quibus trecentorum e S. Mauritii societate Thebaeorum martyrum sacra pignora venerabamur, non ferreis modo clathris nudatae, verum etiam confractae, sacra inde ossa non pauca manu sacrilega subtracta, plura hinc injuriose disjecta, omnia irreligiösime sunt tractata; ad aram S. Apolloniae virginis depositae per tres lapideas tumbas Sanctorum Trevirensium reliquiae sunt violatae, ac cisternae, in qua S. Athanasius,<sup>1)</sup> Alexandrinae Ecclesiae episcopus, sive persecutionis declinandae sive reliquiarum venerandarum ergo sub S. Maximino delituit, symbolum quoque fidei composuit, altius a terra prominens labrum ad fundum usque decussum, nil denique in amplissima Basilica intactum permansit . . . Excisum erat in muro, arae majori ad cornu evangelii obverso, hierothecae eucharisticae cum s. s. altaris sacramento recipiendae loculamentum amplum illudque magnifice ostiolis, qua ligneis affabre elaboratis, qua ferreis polite clathratis decenter ornatum, probe obfirmatum, in quo veluti in coelesti throno ipse Dei filius, ter sanctum numen,

<sup>1)</sup> Ueber den dreimaligen Aufenthalt des hl. Athanasius in Trier siehe: Der hl. Maximinus und der hl. Paulinus von Ph. Diel, Trier, Groppe 1875. Die Cisterne (puteus), in welcher sich Athanasius während seiner Verbannung in Trier vom Februar 336 bis zum 17. Juni 338 aufgehalten haben soll, war ein Gegenstand der Verehrung in St. Maximin, indem die Mönche jedes Jahr dieselbe mit Blumen und Lichtern umgaben. Aber schon der trierische Annalist Brower (lib. I. n. 44) schreibt, es sei ihm ungewiss, ob diese Verehrung deshalb geschehe, weil Athanasius an diesem Orte geweilt, oder weil, alten Berichten gemäss, die Gebeine der trierischen Märtyrer dort verborgen gewesen seien. Hieronymus schreibt in seinen Chroniken, Athanasius sei in Trier von Maximinus ehrenvoll aufgenommen worden. Kaiser Constantin der Jüngere erklärt in seinem Begleitschreiben, welches er Athanasius nach Alexandrien mitgab: „Quo autem honoris studio et observantia hominem in hac civitate complexus fuerim, ab eo ipso, simul utque in vestrum conspectum venerit, facile intelligetis.“ Die trierische Legende, welche das, was dem Athanasius in seiner Verbannung in Oberegypten geschehen, aufgenommen hat, ist zu lesen bei Trithemius, Catalog. illustr. scriptor., in Athanasium.

cum tota coeli pompa tot jam lustris sub nivea panis forma dignissime commemoratus, paraverat in conspectu nostro mensam adversus omnes, qui tribulant nos. Verum eheu! cecidit corona capitis nostri, translata est gloria Domini, arca novi testamenti, non jam ab incircumcisis Philistaedis capta, sed a christianissimi regis militibus atrocissima contumelia intolerabilique injuria hac fatali est affecta. . . . Venerabilis sacramenti sanctorum perditissimi mortales adoriuntur nulloque praesentis Dei respectu vectibus impetunt, instrumentis pertundunt, effringunt, ostiolaque ex ferro clathrata una cum ligneis impie detracta auferunt et levissimi lucelli expectatione in urbem deportant . . . Ne quid tamen atrocius per caecam avaritiae rabiem in ipsum s. s. altaris sacramentum a perfidis his nebulonibus statueretur, S. Maximini Patres, de Dei sui honore magis quam fortunarum conservatione solliciti, religiosas primum excubias ante venerabile sacramentum constituunt, ac sub vesperum demum Eucharisticam hierothecam cum augustissimo Christi corpore magna veneratione nec minori luctu secum in urbem deportant . . .

A templo profanato ad intactas quadamtenus cellas vinarias densatis ordinibus sese proripiunt portisque primo impetu effractis alter super alterum in easdem sese involvunt, tubulos abjiciunt, siphones, epistomia extrahunt, quibus cum voto tardius vinum flueret, vasa pertundunt vinumque jam exundans poculis, urceis, pileis, manibus, ore, quin et (foedum visu) detractis sibi calceis excipiunt ac tantum vini immanibus illis faucibus hauriunt, ut, dimota a se mente, eas in Deum coelitesque tartareo ore blasphemias, eas in religiosos homines contumelias, jam obscoena in se mutuo jurgia veluti trifauces quidam cerberi evomuerint, ut non modo auditu fuerit horrendum, sed etiam lectu intolerabile. Natabant hic verius, quam in Antoniano illo apud Tulliam convivio, pavimenta vino, madebant parietes, diris ebriorum blasphemorumque vocibus omnia personabant. Constat in his Bacchi orgiis plura vini plaustra in terram restagnantemque aquam esse effusa, damnunumque pomeridiano duntaxat hoc tempore acceptum aestimari vix posse. Usque adeo sane universa aedificia diurno hoc furore deformata fuerunt ut, cum ingruentibus noctis tenebris furiae hae in urbem, nos in abbatiale domicilium concederemus exhaustaque labore pariter ac pavore membra refocillationem quietemque deposcerent, neque tamen cibus, quo reficeremur, nec locus, ubi honeste decumberemus, ullibi reperiretur, avulsis veteribus parietinis capitique cervicalis loco suppositis vel crassioribus saxis aut lignis inter rudium sordes ac aedificiorum strages indormire afflictissimi religiosi cogentur.

(Continuatur.)

---